



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. II. De Scriptura & Traditione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

hæc vocum diversitas harmoniam confundit, sed A
mirè servat, & eleganter concinnat; imò ex vo-
cū varietate concors discordia modulatè con-
stat, sicut in Evangelicæ veritatis & doctrinæ con-
suetudine, licet variæ sint Doctorum & Prædicato-
rum linguæ, unus tamen est fidei, & veritatis
Spiritus; idèque licet sub variis & dispersitis
linguis Spiritus Sanctus apparuerit, unicus tamen
supra singulos sedet.

Ab hac doctrinæ concordia omnes aliæ sectæ
longissimè recedunt: Plus (inquit Tertullianus
lib. 2. de anima cap. 2.) diversitatis inveniunt inter
Philosophos, quam societatis, cum & in ipsa socie-
tate diversitas deprehendatur. In eadem civitate
Atheniensis, alii alia, & diversi diversa senserunt.
Epictetum Divinam Providentiam negarunt, Stoi-
ci asseruerunt. Aristippus in voluptate corporis
summum bonum collocavit. Anthystenes in vir-
tute animi constituit. Imò Augustinus 19. de ci-
vitate cap. 1. refert ex Marco Varrone ducentas
octoginta de summo bono sententias. Item alii
unum mundum adstruebant, alii plures, alii innu-
merabiles, ut non immerito illa urbs, Babylon,
hæc confusio, potuerit appellari, in qua nihil
habebatur firmum, sed omnia contrariis inter se
erroribus distraherentur.

Nec minori discordiæ, & sententiarum, seu
errorum contrarietate, inter se dividuntur hæ-
retici, ut in antiquis notat Irenæus lib. 1. cap.
1. Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. Atha-
næus Epist. ad Liberium, & Epiphanius hæresi-
4. In recentibus autem notum est quam multæ
hæreses hæresi Lutheri pullulaverint. & quam
parum coherentè loquantur in multis. Omitto
innumeras Calvinistarum discordias, quas Feu-
ardentius, libro cui titulus est idiomate Gallico,
Entre mangeries des Ministres, fuscè descripsit. Tan-
tum dicam, non mirum esse quod à se invi-
cem illi dissentiant, qui cum semetipsos pacem &
concordiam habere nequeunt. Cocleus enim in
opere inscripto, *Lutherus septiceps*, varias Lu-
theri seipso dissensiones & contradictiones in
omnibus fere fidei capitibus refert; & in solo Eu-
charistiæ articulo triginta sex à Gasparo Saxone
in tabula contra Lutherum notatæ sunt; ut certè
cum spiritui veritatis, adinstar Babylonice turris
edificatorum, actum fuisse, evidenter appareat.
Cocius viginti quatuor antilogias Calvinii re-
fert; & Nicolaus Romeus in libro qui inscribitur,
Calvini effigies, spectaculo 9. & 10. quorum
titulus, *Calvinus sibi discolor*, ostendit librum
institutionum Calvinii esse centonem contradi-
ctionum, & numerat viginti primarias, & plu-
quam sexcentas consecutivas. Addit Andreas Du-
vallius, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de fide,
quæst. 1. Calvinii institutiones nunquam fuisse
recusas, quin pleraque, & quidem maximi mo-
menti, vel ab ipso cum viveret, vel à Ministris
post ejus mortem, mutata sint, ut in articulo de
crimine peccati: in prioribus quippe editionibus,
clarè & distinctè Deum peccatorum, non tan-
tum secundum substantiam, sed etiam secundum
maliitiam & deformitatem, authorem statuit; in
posterioribus verò, etsi rem ipsam retineat, mol-
lioribus tamen verbis, & aliquo pacto ambiguis,
ad evadendum utitur.

Ratio autem hujus inconstantie est, quia hære-
sis non in divino spiritu, sed in humano fundatur,
qui varius & inconstans est, nec semper sibi co-
heret. Unde egregie Dionys. cap. 14. de divin.
nomin. Vera sapientia est à multis opinionibus

convertens, & ad unam veram, & uniformem congru-
ans cognitionem, & uno unitivo lumine complens.
Quæ verba exponens D. Thomas ibidem lect. 4.
subdit: Illi qui cognoscunt veritatem, conveniunt in
una sententia: Sed illi qui ignorant, dividuntur per
varios errores. Variæ enim sunt mendacii falsita-
tisque semitæ, cum una tantum sit via, quæ ad ve-
ritatis & sapientiæ palatium ducit, & ue egregie
Tertullianus ait: Hæc est veritatis integritas, & quæ
ei debetur disciplinæ plenitudo, & equalitas timoris, &
fides obsequii, non mutare sententiam, non variare in-
dicium.



DISPUTATIO II.

De Scriptura, & Traditione.

Explicato objecto fidei, agendum est dere-
gulis quibus illud infallibiliter proponi-
tur, ex quibus duæ sunt inanimatæ, quæ
sensum suum vivâ voce explicare non possunt,
nempe Scriptura & Traditio, de quibus in hac
disputatione breviter differemus: tres verò ani-
matæ & loquentes, nimirum Ecclesia, Summus
Pontifex, & Concilium, de quibus paulo fufius
agemus in sequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Verum Scriptura Sacra sit infallibilis
regula fidei.

Priusquam resolvamus hanc quæstionem,
pauca de Scriptura Sacra, ejusque dignitate,
utilitate, divisione, nec non de variis ejus ver-
sionibus, præmittenda esse censuimus. De qua-
druplici autem ejus sensu egimus in disputatione
proæmiali ad totam Theologiam, art. 9. ad quem
locum Lectorem remittimus.

S. I.

Quid sit Scriptura Sacra.

Scriptura Sacra nomine intelligitur Scriptura,
instinctu & motione Spiritus Sancti scripta,
non modo sensum, sed etiam verba dictantis,
juxta illud 2. Petri 1. Omnis Prophetia Scriptura
propria interpretatione non fit. Non enim volun-
tate humanâ allata est aliquando prophetia, sed
Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei
homines. Et 2. ad Timoth. 3. Omnis Scriptura
divinitus inspirata, utilis est ad docendum. Ur-
de per hoc differt Scriptura Sacra, à definitioni-
bus Conciliorum, vel Summorum Pontificum,
quod ista dictantur quidem à Spiritu Sancto
quoad sensum, quando sunt definitiones de re-
bus fidei, non tamen quoad verba; Scriptura ve-
rò Sacra, quoad utrumque, à Spiritu Sancto di-
ctata est. Quare frequenter legimus in Scriptura,
Prophetas testari Dominum fuisse ad illos locu-
tum: Isaiæ 5. Hæc dicit Dominus exercituum:
Jonæ 1. Factum est verbum Domini ad Ionam,
& Jeremiæ 36. interrogantibus primatibus He-
bræorum, quomodo ex Jeremiæ ore Baruch de-
scripsisset sermones illos, respondit: Ex ore suo
loquebatur quasi legens ad me omnes sermones
istos

illos, & ego scribebam in volumine, atramento. Hinc etiam Psal. 44. lingua Sacri Scriptoris appellatur *calamus* scribe velociter scribentis, quia nimirum, sicut lingua non eloquitur, & calamus non scribit, nisi verba prius in mente loquentis aut scribentis concepta, & ab ea suggesta & dictata: sic verba ipsa quae scribuntur à Scriptori Canonico, dictantur à Spiritu Sancto. Hinc demum Gregorius lib. 3. Epist. 40. Quid est (inquit) Scriptura, nisi quaedam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et in proemio Morali: Ipse ergo haec scripsit, qui haec scribenda dicitur.

2. Aliqui tamen existimant non omnia & singula Scripturae verba dictari specialiter à Spiritu Sancto, sed cum de rebus sensui notis & familiaribus sermo est, permitti ut Scriptor Canonicus ea verbis suis scribat, cum speciali tamen assistentia Spiritus Sancti, ut nihil falsum aut indecens loquatur. Ita docent Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecae haeresi 12. Melchior Cano lib. 2. de locis cap. 18. Andreas Vega lib. 15. in Trident. cap. 17. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 15. Andreas Duvalius hic quæst. 1. de objecto fidei, Gravina lib. 4. de verbo Dei scripto contro. 1. art. 2. & alii. Ratio etiam id suadet, nam in divinis Scripturis multæ res & verba continentur, quæ Scriptoribus Sacris naturaliter nota & manifesta fuerunt, ut cum v. g. Apostolus scripsit in suis Epistolis: Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum, salutant vos tales &c. Ergo non fuit opus ut Spiritus Sanctus propositiones illas, aut verba hæc materialia, ad eas vel similes exprimendas necessaria, in mentibus Scriptorum efformaret. Nam sicut in necessariis Deus deesse non solet, ita nec in superfluis redundare: superfluum autem fuisset de novo infundere supernaturaliter, quod jam naturali notitia satis cognitum atque perspectum Sacris Scriptoribus erat.

Addo quod Author Ecclesiastici, in prologo, veniam petit, si alicubi in verborum compositione deficiat: quod etiam facit Author libri 2. Machabæorum cap. 15. in fine: ex quo non leve argumentum sumitur, Spiritum Sanctum omnia & singula verba Sacris illis Scriptoribus non suppediasse, sed permisisse, ut aliqua verbis suis, suoque stylo scriberent.

§. II.

De nominibus & elogiis, quibus Scriptura Sacra communiter insignitur.

Variis solet nominibus Scriptura Sacra insigniri. In primis per excellentiam Scriptura appellatur: tum quia ea penè sola digna est quæ legatur aut scribatur; tum etiam, quia ea sola spiritu Dei conscripta est. Item vocatur antonomastice *Biblia*, id est libri, quia omne genus librorum humanorum, omnesque eorum Bibliothecas, longe superat sacrum volumen, quo omnis utriusque testamenti continetur Scriptura. Dicitur insuper *verbum* seu *eloquium* Dei, quia Deus per illam, tanquam per oraculum certissimum, nos alloquitur, mentem suam aperit, & de suarum promissionum infallibilitate certos nos reddit. Nuncupatur etiam *testamentum* Dei, duplici ratione. Prima, quod testamentum Dei, certum est scriptum, in qua declaratur ultima voluntas hominis; sic in Sacra Scriptura continetur ultima Dei voluntas, & lex quam

A Deus vult ab hominibus servari. Secunda, quod testamentum est, quo bonorum deferretur hereditas, intercedente testatoris morte, quæ contingente, cum esset antea clausum & obsignatum, aperitur: sic enim per libros sacros deferretur nobis hereditas coelestis, & Christi morte in ea confirmamur, iisque apertis, legimus in eis nos esse Dei heredes, ac cohæredes Christi, si cum eo sustineamus, ejusque mandata observemus. Demum Scripturae, libri Sancti appellantur, 1. Machab. 12. Habentes solatio libros sanctos, non solum propter sanctitatem Authorum, qui omnes, excepto Salomone, creduntur Sancti, sed etiam & multo magis propter sanctificationem, quam animis legentium, per modum objecti ingenerant, vel quia nullum ne levissimum quidem errorem aut mendacium admittunt.

Varia etiam leguntur apud Sanctos Patres Scripturae Sacrae elogia, quibus ejus dignitatem & utilitatem mirum in modum commendant: Augustinus enim lib. 2. de doctrina Christiana hæc scribit: Quantum minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Aegypto secum Hebraei populus abstulit, præ divitiis, quas postea Hierosolyma, maxime sub Salomone consecutus est; tanta est cuncta scientia, etiam utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparantur. Nam quidquid homo extra didicerit, sinu suum est, ibi damnatur; cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius inveniet ea, quæ nunquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Nihil in illis est (libet Hieronymus) quod non luceat, & splendore suo mundum illuminet, ut etiam quæ parva putantur, Spiritus Sancti fulgeant maiestate. Et in prologo super Psalmos: In Scriptura (inquit) habet infans quid lætetur, puer quid laudet, Adolescens quid corrigat, juvenis quid sequatur, senior quid præceat. Hinc discant famina pudicitiam, populi inveniant pietatem, viduae iudicem, pauperes protectorem, advena custodem. Hic Reges invenient quid audiant, Indices quid timeant. Hæc tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, & omnibus apta medicamenta tribuit. In Scriptura (ait Hugo Victorinus) quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. Merito etiam D. Basilii Scripturam officina instructissimam comparat, quæ omnia & omnis generis pharmaca quibusve morbis suppediat: ita nimirum ut ex ea Ecclesia, dum tempora erant Martyrum, hauserit constantiam suam & fortitudinem; dum tempora Doctorum, sapientiæ lumina, flumina eloquentiæ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, errorum everfionem; in prosperis ex ea didicerit humilitatem & modestiam; in adversis magnanimitatem; in tempore fervorem & diligentiam. Præclare etiam S. Gregorius, explicans illud Job, Habet argentum venarum suarum principium: Argentum (inquit) est eloquii vel sapientiæ claritas; venæ Sacra Scriptura: ac si aperte dicat: Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut earum origines à sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. Demum in libro de speculo Monachorum plura habentur Scripturae Sacrae elogia: illa enim dicitur

dicitur puteus Jacob ex quo hauriuntur aquae. A
qua in oratione funduntur; & ejusdem virga de-
corata, cuius intuitu varios bonorum operum
fecerit produciuntur. Vocatur etiam curvus igneus
Elia, quo ad aeternam hereditatem capessendam
in celum velimur: mons Sion in quo mandata
magni Regis traduntur; & panis quem populo
in deserto dedit olim Deus, omne in se delecta-
mentum habens; Polymita Ecclesiae vellus, va-
riis quasi stionum coloribus depicta, quorum gra-
tias quasi stionum humanæ mentis curiositas plenissime
scitari potest. Item Scriptura magnus ille fluvius
est, qui egrediebatur de loco voluptatis, ad irri-
gandum paradisum, qui in quatuor capita divi-
debat: Fons, ait Lyrans, quantum ad articulos
fidei, fluvius, quantum ad ea quæ ex articulis de-
ducuntur. Dividitur autem in quatuor capita,
propter quadruplicem sensum quem continet.
Fluvius planus quidem, sed altus, ut ait Grego-
rius, in quo agnus ambulat & elephas nârat. Pu-
teus altus, ob sensuum inestimabilem profundita-
tem. Fons signatus: fons, quod perpetuo scatu-
rit, & in hortos Ecclesie influat; signatus, quia
difficillima intellectu continet. Liber scriptus in-
tus & foris, propter multiplicem sensum in ea
contentum; & septem sigillis signatus, ob diffi-
cillimam ejus intelligentiam. Liber magnus &
involutus: magnus ob amplitudinem sui objecti,
pro objecto quippe habet omne scibile, & disci-
plinas omnes ac quidquid scire potest, suo fine
completur: involutus, ob quadruplicem sen-
sum quem continet, nempe literalem, mysti-
cum, allegoricum, & anagogicum. Unde Orige-
nes in cap. 1. Joann. Scriptura (inquit) mundus est
intellectus, sui quatuor partibus, veluti quatuor ele-
mentis constitutus, cuius terra est velar in medio instar
centri, scilicet historia: circa quam aquarum similitu-
dine abyssus circumfunditur moralis intelligentie: cir-
ca historiam & ethicam veluti duas hujus mundi par-
tes, aer ille naturalis scientia circumvolatur: extra
autem omnia, & ultra, æthereus ille & igneus ardor
empret calis, id est superna contemplatio divinæ natu-
ræ, quam Theologiam nominant, circumglobatur.

Denique quanta fideles primæ Ecclesie
Scripturam in veneratione haberent, ex eo con-
stat, quod Biblia juxta Eucharistiam in templo
olim ponebatur: erant enim olim in templis duo
secretaria a dextro sinistroque latere abdis po-
sita, in quorum altero sacra Eucharistia atterva-
batur, in altero divinæ Scripturæ codices sacri.
Unde S. Paulinus (ut ipse testatur Epist. 12. ad
Severum) in templo Nolano a se erecto, hos ver-
sus ad dexteram altaris inscribi iussit:

*Hic locus est, veneranda pennis, quæ conditur, & quæ
ponitur alma sacri pompa ministerii.*

Agnoscita verò hæc:

*Si quem sancta tenet meditari in lege voluntas,
Hic poterit residens sacra intendere libri.*

§. III.

De Divisione Scripturæ.

Communitè dividitur Scriptura in vetus &
novum testamentum, seu in libros ad legem
veterem seu Mosaicam spectantes, & in libros
ad novam seu Christianam legem pertinentes.
Vetus testamentum est collectio illa librorum
factorum qui promittunt venturum Redempto-
rem, cum præceptis legis antiquæ. Novum verò

Tom. IV.

est collectio illa librorum factorum, quæ pro-
missum liberatorem ut præsentem exhibent, cum
præceptis novæ legis.

Libri veteris testamenti divisi solent in qua-
tuor classes, scilicet in legales, quales sunt quin-
que libri Moysis, seu Pentateuchus, Genesis,
Exodus, Leviticus, liber Numerorum & Deu-
teronomi. Historiales, scilicet Josue, Judicum,
Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Esdras,
Tobias, Judith, Esther, Machabæi. Sapientiales,
ut Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum,
Sapientia, Ecclesiasticus. Et libros Prophetiales,
quatuor nempe majorem Prophetarum, Isaias,
Jeremias, Ezechiel, Daniel; & duodecim mi-
norum, Oseas, Joel, Amos, Micheas, Abdias,
Jonas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus,
Zacharias, Malachias. Libri autem novi testam-
enti sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci,
Lucæ, Joannis, legalibus libris correspondentia,
Acta Apostolorum quæ historialibus correspon-
dent, Epistolæ D. Pauli quatuordecim, una D.
Jacobi, duæ D. Petri, tres D. Joannis & una
Judæ, quæ libris Sapientialibus correspondent,
& Apocalypsis D. Joannis, quæ correspondet
libris Prophetarum.

Horum librorum quidam dicuntur Canonici,
quia eos à Spiritu sancto tanquam præcipuo au-
thore produisse, per Ecclesiam constat; alii verò
Apocryphi, id est occulti, de quibus an à Spiritu
sancto manarint, incertum & occultum est; id-
eoque à sacrorum librorum catalogo, eo nomine
merito rejiciuntur. Pro Canonicis, constans est
omnium Catholicorum sententia, omnes illos
qui in Latina vulgata Biblia editione continen-
tur, esse Canonicos, præter orationem Manassæ
Regis Judæ, cum captus teneretur in Babylone,
duos posteriores libros Esdræ, & duos etiam po-
steriores Machabæorum, qui propterea in fine
Bibliæ, extra seriem librorum Canonicorum se-
positi sunt. His enim duntaxat exceptis, sacra
Synodus Tridentina, alios pro Canonicis susci-
piendos decrevit sess. 4. ubi post recensitum il-
lorum numerum, scilicet quadraginta quinque
ex veteri testamento, & viginti septem ex no-
vo, hæc verba subduntur: *si quis autem libros illos
integros, cum omnibus suis partibus, prout in Eccle-
sia legit consueverunt, & in veteri vulgata editione
habentur, non receperit pro sacris & Canonicis. Ana-
thema sit.* Idem sacrorum librorum canon fue-
rat prius editus à Florentino in decreto Euge-
nii, & ante mille centum annos à Concilio
Carthaginensi 3. cap. 47. & ab Innocentio 1.
in Epistola 3. ad Exuperium, & à S. Augustino
lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. qui prædi-
cto Concilio Carthaginensi interfuit, & subscri-
psit. Hitamen Baruch expressam mentionem non
faciunt, sed eum sub Jeremia comprehendunt,
quia Baruch fuit scriba Jeremiæ, ut patet ex Je-
remiæ 36. ideoque veteres prophetiam Baruch
citantes, citant sub nomine Jeremiæ, ut pluribus
exemplis ostendit Canus lib. 2. de Locis theo-
logicis cap. 11.

Potè librorum Canonici sunt duplicis generis, alii
enim vocantur Proto-canonici, alii Deutero-ca-
nonici. Priores sunt illi de quibus in Ecclesia Dei
nunquam à Catholicis hæcenus dubitatum fuit.
Posteriores verò de quibus nonnunquam ab ali-
quibus Catholicis est dubitatum, sed tamen am-
plius non dubitatur ab ullo Catholico. Proto-
canonici sunt infra scripti: Pentateuchus sive
quinque Moysis libri, Genesis, Exodus, Levi-
ticus,

li

ticus,

ticus, Numeri, Deuteronomium, libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon duo Esdræ, Job, Psalterium centum quinquaginta Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum quatuor Prophetæ majores, & duodecim minores, quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolæ tredecim D. Pauli, omnes nempe, exceptâ illâ quæ est ad Hebræos, prima Petri, & prima Joannis.

Deutero-canonici autem sunt ex veteri testamento, Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, hymnus trium puerorum, Danielis 13. itemque oratio Azariæ, sicut & oratio Jeremiæ circa finem Threnorum, Machabæorum primus & secundus. Ex novo testamento caput ultimum Marci, ab eo loco, *surgens in eum Jesus*, & ex capite 22. Lucæ historia de sudore Christi sanguineo, & de confortatione ejusdem Christi per Angelum: Joannis 8. historia de muliere adultera, & ex prima Epistola ejusdem, hæc verba: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, & Filius, & Spiritus, & hi tres unum sunt.* Item tota Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, & Judæ, secunda Petri, secunda & tertia Joannis, & denique Apocalypsis ejusdem, de quibus aliquæ Ecclesiæ particulares, & aliqui Patres dubitarunt, aut negarunt esse Canonicos; licet alioqui adhererent Ecclesiæ universali, neque dubitarent aut negassent, si fuisset definitio intima toti Ecclesiæ, ipsique nota.

Inter Apocryphos verò numerantur, tertius & quartus Esdræ, tertius & quartus Machabæorum, Oratio Manasse, appendix libri Job, qui ejus genealogiam describit, præfatiuncula Threnorum Jeremiæ, quæ incipit, *Et factum est postquam in captivitatem, quæ nec in Hebræis, nec in Græcis, sed in nonnullis duntaxat Bibliis Latinis habetur.* Liber Hermæ, qui inscribitur *Pastor*, & denique Evangelia, quæ sub nomine Andree, Bartholomæi, Barnabæ, Nicodemæ, & aliorum circumferuntur.

§. IV.

De variis Scripturæ Editionibus.

PRIMA Scripturæ sacre editio est Hebræica veteris testamenti, & Græca novi; totum enim vetus testamentum à suis authoribus Hebræicè scriptum est, exceptis paucis libris Chaldaicè conscriptis, ut Judith, Tobias, & quibusdam partibus libri Esdræ & Danielis, ut testatur Hieronymus præfatione in Daniele, ubi cum iis reponit adhuc quasdam partes Jeremiæ, additque librum Job Arabicis vocibus permixtum esse. Novum verò testamentum Græcè scriptum est, præter Evangelium S. Matthæi, quod Hebræicè primum ab illo scriptum fuit, Evangelium S. Marci, quod ab eo Latine editum est, ut probat

Anno 45.
num. 41

Baronius tomo primo Annalium, & Epistolam ad Hebræos, de qua ambigitur, an primum Hebræicè, an verò Græcè scripta fuerit. Origenes enim & Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 11. & 18. censent hanc Epistolam Græcè scriptam fuisse, ita ut sententia & res sit Pauli, phrasîs verò & stylus sit Lucæ, & Clementis ideoque sit elegantior cæteris Pauli Epistolis. Hieronymus verò, Theodoretus, Oecumenius, & alii, probabilius existimant, Paulum scripsisse hanc Epistolam Hebræicè, utpote Hebræum Hebræis, & hac de causâ alias styli elegan-

tiâ superare. Est etiam controversia inter Authores quo idiomate Epistola ad Romanos scripta fuerit: Salmeron enim tomo 1. prolegomeno 35. in fine, asserit illam Latine scriptam esse: Bellarminus autem, Cornelius à lapide, alique plures, censent scriptam esse Græcè, & postea versam in Latinum à Tertio, qui Pauli à manuentis fuit, ut dicitur cap. 16. versu 22. vel alio Interprete, quem dicit Cornelius Paulum semper ad manum habuisse.

Secunda editio est Paraphrasis Chaldaica veteris testamenti, quam Hebræi Targum vocant; de qua quæ ejus Authores fuerint, lis & controversia est inter Authores. Aliqui enim Judæi existimant, illam ab Ezechiele Propheta fuisse compositam. Jacobus Episcopus Christopolitanus in expositione Psalmi 20. asserit authorem translationis hujus fuisse Jonatham Benuziel, Judæum, qui anno 21. Octaviani Augusti, hoc est Anno ante Christum natum 21. transtulit totum vetus testamentum in linguam Chaldaicam, sensum magis de sensu, quam verbum de verbo exprimens. Communis tamen sententia docet, Paraphrasim Chaldaicam veteris testamenti, factam esse à tribus Rabinis Iudæorum, nempe à Rabi Aquila, qui Pentateuchum: Rabbi Jonatha, qui librum Josue, Iudicum, Regum, & Prophetas; & Rabbi Joseph cæco qui Iob, Psalterium, Esther, Proverbia, Ecclesiastem & Cantica, in linguam Chaldaicam transtulit. Hunc Galatinus ait fuisse Discipulum Simeonis justî, qui excepit Christum in ulnas suas, & anno post ejus nativitatem quadragesimo, hanc translationem seu paraphrasim edidisse.

Tertia editio est Græca septuaginta interpretum, facta 230. annis ante nativitatem Christi, sub Ptolomæo Philadelpho apud Pharum Egypti. Cum enim Demetrius Phalereus Bibliothecæ regis præfesset, ingentem pecuniæ summam à Ptolomæo accepisset, ut omnigenere voluminum eam ornaret, & jam quingenta millia volumina Græca in eam deportari curasset, & Ptolomæo promississet se longè plura repositurum, si aliarum quoque gentium scripta congererentur, præsertim Iudæorum, quorum libros hæcenus non comparasset, quod propriâ linguâ & characteribus conscripti essent. scripsit Rex ad Eleazarum Pontificem, petiitque ab eo interpretes, quos ut facilius impetraret, centum millia Iudæorum, quos Ptolomæus Lagus captivos duxerat in Egyptum, libertate donavit, & in Iudæam remisit, unâ cum pluribus ad templum donis. Ejus votis annuens Pontifex, misit ad ipsum septuaginta duos Interpretes, legis peritissimos, linguarumque Hebræicæ & Græcæ scientissimos, unde Hilarius, Principes, Doctoresque Syrogoæ, eos appellat, & plures existimant aliquos ex illis fuisse ex magno Synedrio, seu Concilio Hierosolymitano. Hujus rei historiam descripsit Aristæas, unus ex legatis Ptolomæi ad Eleazarum, à quo Iosephus lib. 12. antiquitatum cap. 20. & Epiphanius lib. de Mensuris & Ponderibus, eam mutuati sunt.

Addit ibidem Epiphanius hos Interpretes binos & binos in cellulis inclusos fuisse, & divino miraculo singula paria ipsorum, iisdem verbis totam Scripturam transtulisse; ita ut simul confecerint sex & triginta exemplaria ejusdem prioris versionis. Justinus verò in oratione exhortatoria ad Gentem dicit singulos in singulis cellulis fuisse inclusos, & majori adhuc miraculo, à singulis

teor.

S. V.

De Editione vulgata, ejusque in Ecclesia
auctoritate.

ferunt totam Scripturam iisdem verbis reddi-
cam; & se apud Alexandriam vestigia cellularum
vidisse testatur. Idem asserunt Irenaeus lib. 3. cap.
35. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum,
Cyrillus Catechesi 4. & alii. Sed repugnat Hie-
ronymus lib. 2. contra Rufinum, & in praefatio-
ne tam in Pentateuchum, quam in libros Paralip-
omenon, ubi aperte ridet hanc historiam: Nescio
(inquit) quis primus auctor Alexandria septuaginta
cellulas mendacio suo fruxerit. Itaque existimat D.
Hieronymus, septuaginta duos Interpretes in
eadem Basilica sedentes, & inter se conferentes,
Scripturam transtulisse. Sed quidquid sit de hoc,
concedunt omnes, hanc versionem non sine spe-
ciali Dei assistentia factam esse, tum propter ad-
mirabilem eorum consensionem, tum etiam quia
integrum opus, brevissimo tempore, nimirum
septuaginta duorum dierum spatio, perfecerunt;
quae duo erant difficilia, imò ipsa consensio mor-
taliter erat impossibilis, nisi à Deo ipso directi
& gubernati fuissent; unde Augustinus lib. 2. de
Doctrina Christiana cap. 7. uniformem hanc
consensionem, tanquam miraculosam, & opus
dexteræ Excelsi, commendat.

Præter Græcam septuaginta seniorum transla-
tionem, plures aliæ tam veteris quam novi testa-
menti, post Christi adventum, fuerunt factæ,
Græco etiam idiomate; cum enim septuaginta
Interpretum editio corrumpi & vitari cœpisset,
partim negligentia librariorum, partim malitiâ
hominum, Aquila, Symmachus, & Theodoti-
on, licet aliis homines hæretici essent, novas u-
triusque testamenti de Hebræo in Græcum trans-
lationes edidit, in quibus in odium Christiani
nominis multa perperam addiderunt, ut testatur
Chrysostomus homil. 5. in Matth. & Hierony-
mus Epist. 89. ad Augustinum. Deinde corru-
ptam Septuaginta editionem emendavit Orige-
nes, multis ex Theodotione admixtis; Alteris-
cis, seu signo radiantis stellæ, designans quæ minus
essent; obelis verò, seu virgulis, quæ ex superfluo
viderentur appositæ. Post Origenem verò etiam
emendavit editionem Septuaginta Lucianus
Martyr, ejusque editio Lucianæ vocata est, à sui
Auctoris nomine, eaque usæ sunt omnes Eccle-
siæ à Constantinopoli ad Antiochiam usque, ut
testatur Hieronymus præfat. in libros Paralip.
cujus verba infra referemus. Et in præfatione ad
Psalterium ait ipsam sanctissimi Martyris mani-
bus descriptam, repertam fuisse Nicomediæ in
quadam turri à Judæis calcè illitam, quod Atha-
nassius dicit contigisse sub Constantino Impera-
tore. Tandem Helychius Monachus, & in Pala-
stina multorum Monachorum pater, qui Hilari-
on, sanctissimi Eremitæ, arctissimo amoris vi-
nculo junctus fuit, cum Græcæ linguæ peritissimus
esset, & divinarum Scripturarum lector assidu-
us, novam Græcam translationem totius Scri-
pturæ publicavit, partim à se de septuaginta In-
terpretibus in veteri testamento emendatam,
partim verò propriâ industria in novo testamen-
to, ad antiquam fidem restitutam. Harum edi-
tionum mentionem fecit Hieronymus præfat.
in lib. Paralipom. ubi hæc scribit: Alexandria &
Ægyptus in septuaginta suis Helychium laudant au-
thorem. Constantinopolis usque ad Antiochiam, Lu-
cium Martyris exemplaria probat. Media inter has pro-
vinciæ, Palæstina Codices legunt, quos ab Origine ela-
boratos, Eusebius & Pamphilus vulgaverunt; totiusque
vbi hæc inter se trifaria varietate compingnat.

Tom. IV.

VT habuerunt Hebræi suâ linguâ sacram Scri-
pturam, Græci quoque suâ testamentum ve-
tus, ex versione septuaginta Interpretum, & tes-
tamenti novi ipsos primos fontes; æquum erat,
ut Latina Ecclesia, in qua est sedes Petri, & in qua
perpetuò fides Christiana mansura est, suâ etiam
linguâ eandem haberet Scripturam; quare innu-
merabiles olim fuisse Latinas illius editiones, te-
statur D. Hieronymus præfatione in Josue, & D.
Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11.
Sed inter illas duplex fuit vulgata, quæ maximæ
fuit auctoritatis in Ecclesia. Una vetus, cujus Au-
thor ignoratur, fuitque ante Hieronymum, & ipsam
S. Augustinus libro citato cap. 15. Italiam vocat.
Alia nova, facta ab ipso Hieronymo, qui iussu Da-
masi Papæ, vetus testamentum ex Hebræo in La-
tinum transtulit, & novum testamentum Græ-
cæ fidei reddidit. Hæc tamen duæ vulgatae editio-
nes Latinæ, vetus & nova, etiam tempore proce-
dente, contentione non materia subministrarunt,
dum unaquæque suos fautores habebat, nam illa
antiqua, seu Italica, apud Augustinum citatum me-
lior judicabatur. Sidorus verò lib. 6. Ethimol.
cap. 6. Hieronymi versionem cæteris anteposuit.
Unde post S. Gregorii tempora, ex illis duabus
vulgatis, veteri & nova, una conflata est ad com-
munem Ecclesiæ usum, quæ vulgata communis
dicta est; non quod in singulis libris utraq; versio
permixta sit, sed quia in ea aliqui Scripturæ libri,
nempe Pentateuchum, Josue, Ruth, Regum, Pa-
ralipomenon, Tobias, Judith, Esther, Esdras,
Prophetæ omnes, Canticum Canticorum, Pro-
verbia, Ecclesiastes, & Job, leguntur, sicut Hie-
ronymus ex Hebræo in Latinum illos transtulit;
alii verò libri veteris testamenti, non ex versio-
ne D. Hieronymi, sed ex antiqua translatione
ante ipsum, cujus auctor ignoratur, & quæ ab
Augustino Italica vocatur, desumpti sunt. Psalte-
rium etiam vulgatae editionis Latinæ, non est il-
lud quod D. Hieronymus transtulit ex Hebræo,
neque illud quod transtulit ex versione Græca
septuaginta Interpretum, sed illud quod ipse e-
mendavit, translatum ab antiquo Interprete ex
editione sancti Luciani Martyris. Demum te-
stamentum novum vulgatae editionis, totum nunc
legitur secundum veterem editionem, quam ta-
men D. Hieronymus emendavit; constat enim
Hieronymum emendasse novum testamentum,
iussu Damasi summi Pontificis, ex præfatione
ejus in Evangelia, & ejus emendationem fuisse
ab Ecclesia receptam, & valde placuisse homini-
bus doctis & piis ejus temporis, ut intelligi po-
test ex Epistola 10. Augustini ad Hieronymum.

Ex his facile intelliges, editionem vulgatam
maximæ esse in Ecclesia auctoritatis; ut enim
jam ostendimus, ea partim constat ex versione
illa antiqua communi, quam S. Augustinus lib. 2.
de Doctrina Christiana cap. 15. Italiam vocat,
asseritque Latinis omnibus editionibus, quæ
plurimæ circumferebantur, præferendam esse,
quod esset (ut ipse loquitur) verborum tenaxior, cum
perspicuitate sententiæ partim ex translatione &
emendatione D. Hieronymi, cujus multa extant
SS. Patrum egregia testimonia, Augustinus enim
libro 18. de Civit. Dei cap. 43. sic ait: Non desuit
temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctis-
simus,

lib. 2.

imus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebraeo in Latinum divinas Scripturas convertit, ejus tantum litterarum laborem Hebraei sentitur esse veracem. Eundem S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. ita praedicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebraeo eloquio cuncta verius transfudisse dicat, atque idcirco dignissimam esse cui fides in omnibus habeatur. Sanctus quoque Hieronymus lib. 6. Etymol. cap. 5. Presbyter (inquit) Hieronymus, trium linguarum peritissimus, ex Hebraeo in Latinum eloquium, divinas Scripturas, convertit, eloquenterque transfudit, ejus interpretatio merito & te is anteponitur. Unde Sophronius, vir eruditissimus, S. Hieronymi translationem, non Latinis modo, sed etiam Graecis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium & Prophetas ex Hieronymi versione, in Graecum elegantissime monachum transtulerit; & Damasus Papa voluit illam in communem Ecclesiae usum introduci, ut refert Platina in ejus vita. Merito igitur Concilium Tridentinum sess. 4. speciali decreto vulgaram editionem, ut authenticam habendam esse declaravit, his verbis: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrarum librorum, quoniam pro authentica habenda sit, immutetur, statuit & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, predicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & ut neminem recedere, quovis pretexto audeat & presumat.*

16. Hinc colligitur, Scripturam sacram vulgatam editionis, esse regulam fidei infallibilem, non vero textum Hebraicum, quem nunc habemus, aut versionem septuaginta Interpretum.

Prima pars patet, Scriptura enim Canonica est infallibilis regula fidei; cum enim sit inspirata & dictata à Spiritu Sancto, necessario vera est in omni sensu, quem Spiritus Sanctus intenderit; unde Christus ipse Joann. 5. Judaeos ad eam provocat, dicens: *Scrutamini Scripturas, illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Et Augustinus sermo 2. contra Donatistas cap. 6. *Non asseramus (inquit) stateras dolosas, ubi appendimus quod volumus, pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve est, sed asseramus divinam stateram de Scripturis sacris, tanquam de thesauro Domini, & in illa quid sit gravius appendamus; imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscimus.* Sed Scriptura sacra vulgatae editionis, authentica & canonica est, ut definitur Tridentinum: Ergo illa est infallibilis regula fidei.

17. Secunda verò pars suadetur: Nam licet textus Hebraicus veteris testamenti, fuerit quidem initio planè divinus aut authenticus, quia Hebraeis Hebraicè primùm & originaliter traditus fuit, ab iisque ad Graecos & Latinos derivatus, manseritque integer & authenticus, usque ad Christi tempora & Apostolorum, qui passim Hebraeos Scripturas citantes, nunquam admovent de corruptione; imò & usque ad tempora Hieronymi (communiter saltèm) qui ex Hebraeo Scripturam vertit, ut sapius ipse testatur, & speciatim in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: At nunc certum est non esse divinum & authenticum, absolute & universaliter, ob varias corruptiones & depravationes, quae in eo factae sunt. Nam Biblia fuerunt punctis à Judaeis vitata, id est punctorum, quae apud Hebraeos sunt loco vocalium, additione perpe-

ram facta à Rabbiniis infidelibus, & Spiritu Sancto desectis, ac ne inter se quidem consentientibus, anno post Christum natum 514. Deinde inscitia lingua Hebraica, quae à multo tempore non adeo fuit communis, & affinitas summa quarundam litterarum Hebraicarum, causa fuit cur aliae pro aliis litteris substituerentur, & interdum duae dictiones in unam conjungerentur, aut in duas una divideretur, cum magna sensus variatione, ut multis exemplis ostendunt Genebrardus in Psalm. 4. Galatinus lib. 1. de Arcanis cap. 8. & alii.

Probatum etiam tertia pars, quae asserit versionem septuaginta quam nunc habemus, non esse regulam infallibilem fidei; licet enim cum primùm talis versio ab illis edita est, fuerit Scriptura Canonica, modo tamen authentica non est, quia in multis fuit vitata & corrupta, ut variis exemplis probat Hieronymus Jonæ 3. Et licet primùm emendata fuerit à Cardinali Ximeno Hispano Compluti, & postea Romae à Sixto V. operâ quorundam Cardinalium, & doctissimorum hominum; non fuit tamen per istas emendationes ad integram suam puritatem restituta: unde Sixtus nullum edidit decretum, quo illam editionem authenticam esse declararet: Ergo licet illa magna sit autoritatis in Ecclesia, non est tamen regula infallibilis fidei, sicut vulgata editio.

§. VI.

Explicantur quaedam antilogiae seu contradictiones apparentes, quae in variis Scripturae locis reperiuntur.

19. Haeretici uti Scripturae sacrae auctoritatem & infallibilitatem eludant, eamque non esse fidei nostrae infallibilem regulam suadeant, objiciunt quaedam Scripturae loca, quae videntur esse contradictoria, atque adeo falsa ex aliqua parte; duorum enim contradictoriorum, unum est verum & alterum falsum. Hujusmodi sunt quae sequuntur: Genesis 1. dicitur, Deum sex diebus mundum creasse: At Eccles. 18. asseritur ipsum simul omnia creasse: Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul. Item Genes. 1. dicitur quod lux creata fuit in prima die: quod etiam apparet falsum, quia lux creata fuit cum Sole, cujus productio dicitur facta quarta die. Ibidem etiam cap. 32. Jacob Patriarcha sic ait: *Vidi Dominum faciem ad faciem, & salva facta est anima mea, & tamen Exodi 20. Deus sic loquitur: Non videbit me homo & vivet.* Eodem capite protestatur Deus se visitare iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam generationem; cujus contrarium asseritur Ezechiel. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Praeterea 3. Regum 8. dicitur quod in arca nihil aliud erat, nisi tabula testamenti; & tamen Apostolus ad Hebraeos 9. affirmat quod etiam erat ibi manna, & virga Aaron quae fronderat. Ulterius Job cap. 7. suae historiae asserit se peccasse, nam alloquens Deum, sic ait: *Peccavi, quid faciam tibi o celsus hominum?* contrariumque affirmat cap. 27. dicens: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Dicitur etiam cap. 1. & 2. ejusdem libri: *In omnibus non peccavit Job, nec stultum aliquid locutus est labiis suis;* & postea cap. 39. idem Job dicit de seipso: *Leviter locutus sum; & infra: Penitus locutus sum, quod utinam non dixissem;* & cap. 42. *Inspiciens locutus sum.* In quibus locis aper-

ta videtur esse contradictio. Denique in novo testamento quadam sunt loca, aliquam contradictionis speciem habentia: nam Joan. 2. Magdalena dicitur venisse mane ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent: at contra Marc. 16. Venit ad monumentum orto jam Sole, & Matth. 28. Vespere autem sabbati, quae lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalena videre sepulchrum. Item Roman. 3. Paulus sic loquitur: *Adiuvamur justificari per fidem, sine operibus legis*: Iacobus vero capit. 2. suae Epistolae Catholicae contrarium videtur asserere, his verbis: *Videtur quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum*. Plura alia loca contradictionis speciem habentia, colligunt Magister Cano libro 2. de Locis theologicis, cap. 2. Janenius in concordia Evangelistarum, & Beccanus cap. 3. de Fide, quest. 8.

Ad primum respondeo particulam simul, eo loco accipio pro *aquae*, seu pariter, sensumque Ecclesiastici esse, quod Deus sit *aquae* omnium creator, licet multa successively creaverit. Sicut cum dicitur Psal. 48. *simul insipiens & stultus peribunt*, sensus est quod pariter peribunt, non autem quod eodem tempore, vel eodem instanti.

Ad secundum dicendum cum D. Thomas 1. 2. parte quest. 67. art. 4. ad 2. quod substantia Solis & lucis fuit producta prima die, sed quasi informis, quae postea quarta die formata fuit, & determinata ad particulares effectus in Sole, ideo dicitur creata quarto die. Verba ejus sunt: *Discendum est, ut dicit Dionysius, quod illa lux, (videlicet quae prima die creata est) fuit lux Solis, sed adhuc informis, . . . sed postmodum data est ei specialis & determinata virtus ad particulares effectus*.

Aliter hunc locum ibidem dubio 2. interpretatur Bannez: ait enim quod Sol quarta die creatus dicitur, non quod tunc secundum substantiam creatus fuerit, sed per recapitulationem, quia videlicet iterum refertur creatus, ut inter alia sidera annumeraretur illud quod praclarissimum est: sicut ob eandem rationem, productio mulieris, quae revera sexto de facta fuit, narratur a Scriptura post finem omnium dierum.

Ad tertium dico, Jacob loqui de familiari visione, sub specie externa: Deum autem in Exodo loqui de visione suae essentiae in seipsa, quae iustis non conceditur nisi post mortem.

Ad quartum respondeo, Deum in Exodo loqui de poena temporali, apud Ezechielem vero loqui de poena spirituali privationis gratiae, & damnationis aeternae, de qua ibidem ait: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur*: illa enim poena in filios derivatur, non vero ista, excepto peccato originali, de quo non est ibi sermo.

Ad quintum dicendum quod in arca erat distinctio quadam, ita ut aliquid posset esse in medio arcae, & aliquid ad latus, ut colligitur ex Deuter. 10. ubi dicitur: *Tollite librum istum, & ponite in latere arcae*, & illud latus non vocabatur arca communiter. Igitur in medio arcae nihil aliud erat, nisi tabula testamenti, & sic verificatur id quod habetur 3. Regum 8. in latere autem erat virga Aaron, urna aurea cum manna, & ita verum est quod affirmat Apostolus ad Hebraeos 9. qui latiori vocabulo accepit arcam, prout non solum medium, sed etiam latera complectitur: unde in illis locis nulla est contradictio.

Ad sextum dicatur, quod quando Job cap. 1. ait, *Peccavi*, loquitur de aliquo peccato levi quod commisit ante illam tribulationem, cum

Tom. IV.

verò postea cap. 27. dicit: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*, loquitur de peccato in re gravi, praecipue de peccatis illis quae sibi obieciabatur ab amicis.

Ad aliud quod ibi subjungitur, respondent aliqui apud Pingedam, cap. 39. & 42. citatus, quod licet Job in principio suae tribulationis, in verbis suis non peccaverit, etiam venialiter (in quo sensu verificatur illud quod dicitur cap. 1. & 2.) tamen postea aliquod peccatum, licet leve, commisit, defendendo nimis suam innocentiam coram amicis, vel dum de iudicio Dei conquirebatur. Unde verba illa, quae Job ait, nimirum se leviter & insipienter locutum esse, referunt primò ad id quod dixit cap. 6. *Vtinam appenderetur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arenam maris haec gravior appareret*, vel secundò ad id quod ait cap. 7. *Elegit suspendium animae meae*: vel tertio ad illud quod dixit cap. 9. *Si flagellat, occidat*: vel denique ad id quod habetur cap. 13. ubi sibi promittens certam victoriam ex iudicio Dei, dixit: *Scio quod inveniar iustus in iudicio*.

Nihilominus D. Gregorius excusat Job à peccato veniali, & verò inordinatis, & ait quod cum dixit, *Leviter & insipienter locutus sum*, loquebatur comparative ad Deum, apud quem omnes ejus excitationes & querimoniae erant stultitiae, & locutiones leves: sicut apud ipsum omnes nostrae iustitiae peccata vocantur, & dicuntur esse sicut *pannus menstruatus*, Isaia 64. quamvis re ipsa peccata non sint. Potest etiam dici, quod verba Job, stultitiae & peccata vocantur, non quod revera peccata essent, sed quia habebant aliquam speciem & apparentiam mali, praenimio dolore cruciatum quos patiebatur. Unde D. Thomas in commentariis ad cap. 38. ipsum excusat, & dicit solum excessisse in modo loquendi.

Ad septimum ex novo testamento desumptum, respondeo Magdalenam domo profectam esse, dum adhuc tenebrae essent, & pervenisse ad monumentum, orto jam Sole. Vespere autem Sabbathi, quae lucebat in prima Sabbathi, significat auroram diei dominicae, quae vocatur prima Sabbathi, id est prima dies post Sabbathum. Vesper enim auroram ibi significat, ob stellam antelucanam, quae Venus appellatur & Vesper, ut exponit Boronius ad annum Christi 34. Quamvis alii per *vesperem* intelligant partem extremam noctis, quae tota apud Hebraeos vesper interdum vocatur. Alii malunt Magdalenam, & alias sanctas mulieres, sepius ad sepulchrum venisse.

Ad ultimum dico, Paulum loco citato solum velle, hominem non justificari per opera quae fiunt per legem, sive naturalem, sive Moisaicam, seclusa gratia Christi; sed per fidem, non informem, sed gratia & charitate formatam: Jacobum vero, cum affirmat opera justificare, & non solum fidem, loqui de operibus factis ex fide, & gratia Christi; atque ita enim Apostolum alteri non esse contrarium.

* *

*

12

A R.

ARTICULUS II.

An præter Scripturam sint aliquæ traditiones non scriptæ, quæ sint regulæ fidei?

29. **N**egant Hæretici nostri temporis, contententes omnia fidei Christianæ dogmata esse in Scripturis Sacris expressa, subindeque traditiones non scriptas in sacris codicibus, tanquam nullius roboris & autoritatis esse rejiciendas. Idem prius doctuerant Gnostici apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum, Macedoniani & Eunomiani apud Basilium de Spiritu Sancto cap. 25. & libro 1. contra Eunom. Nestorius, Eutiches, Dioscorus, Ephyconomachi, ut ex actis septimæ Synodi habetur. Demum ante Lutherum & Calvinum, Henricus Tolosanus, ut narrat, divus Bernardus Epistolâ 242. & Wiclefus in Waldensem libro 2. doctrinalis fidei antiquæ cap. 19. ut inventum hominum, & Phariseorum superstitiones, traditiones rejiciant. Ut hic error confutetur, & veritas Catholica stabilior & explicetur, fit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, præter Scripturam aliquas esse traditiones non scriptas, ad regulam fidei pertinentes.

30. **P**robatur primò ex Scriptura 2. Thess. 2. *Itaque fratres stite & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ubi in primis sermonem esse de rebus ad fidem pertinentibus, & non tantum ad externam politiam Ecclesiasticam, fateatur Calvinus in hunc locum, & patet, quia hoc ideo dicit Apostolus Thessalonicensibus, ut maneat, firmi in fide veritatis, quemadmodum liquet ex verbis præcedentibus. Deinde disjunctio illa, *sive per sermonem, sive per Epistolam*, aperte indicat duo genera traditionum: alias scriptas, alias verò non scriptas, sed per sermonem, id est vivâ voce expressas. Unde Apostolus æquiparat utramque traditionem scriptam & non scriptam, & significat utramque æqualiter tenendam & utrique æquè firmiter standum esse, nimirum quia verbum divinum, sive sic scriptum, sive non, æquè credibile est, ejusdemque autoritatis, & infallibilis; neque enim vim habet ab attramento & characteribus, sed à Dei autoritate.

31. **H**oc Apostoli testimonio utuntur Sancti Patres ad probandum dari in Ecclesia aliquas traditiones non scriptas, ad fidei regulam pertinentes. Chrysostomus enim Homil. 4. in caput. 2. Epistolæ 2. ad Thessal. sic de illo Apostoli pro traditionibus non scriptis testimonio loquitur: *Hinc patet (inquit) quod non omnia per Epistolam traderint Apostoli, sed multa sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam ista quam illa. Quare Ecclesia traditionem fide dignam existimemus. Traditio est, nihil amplius, quæras. Et Basilium libro de Spiritu Sancto ad Amphilochoium cap. 29. initio: Apostolicum esse arbitror traditionibus etiam non scriptis inherere, laudo enim vos inquit (supple Apostolus 1. ad Corinthios 10.) quod per omnia Christi memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea servatis. Et 2. Thessal. 2. Tenete traditiones quas didicistis, sive*

A per sermonem, sive per Epistolam nostram. Hac utique Basilium.

Probatur secundo ex Nicæna Synodo secundâ, anno 781. celebrata, in qua actione 6. initio, hæc verba habentur: *Præterea multum multis quæ nobis sine scripto tradita sunt etiam imaginum factio in Ecclesia ab Apostolorum predicatione dilatata est. Et rursus actione 7. in ultimo titulo sic dicitur: Sed ab Apostolo edocuit tenemus traditiones quas accipimus, omnia recipientes & amplectentes quæcumque Catholica Ecclesia antiquitus scripta & non scripta recepit: Ex quibus sunt etiamfigurationes picturarum & imaginum. Ergo dantur aliquæ traditiones Apostolicæ non scriptæ, speciatim ea quæ spectat ad cultum & picturam sacrarum imaginum.*

Probatur tertio ex SS. Patribus: Incipiendo enim à D. Ignatio Martyre, omnium antiquissimo, ejus Epistolæ verè promptuarium dici possunt divinarum traditionum quæ in Sacris Scripturis non habentur: dei enim Dominicæ celebratio habetur in illa quæ est ad Magnesianos: Ecclesiasticæ Hierarchiæ chorus, constans ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, habetur in Epistola ad Tarzelens: vari Clericorum ordines, in Epistola ad Antiochenos: festa colenda, & jejunium Quadragesimale observandum in Epistola ad Philippenses, & alia ejusmodi, quæ non sunt scripta ab Apostolo.

C Secundo D. Dionysius cap. 1. lib. de Hierarchia Ecclesiæ, loquens de Apostolis, quos primarios sacerdotales muneris duces appellat: *Sacratorem (inquit) & purgatorem doctrinam, ex animo in animum, medio interveniente verbo, partim litteris, partim sine litteris, transfuderunt. Multa præterea per solam traditionem non scriptam accepta, in libris ejus recenseri, luce ipsâ clarius est. Fit enim mentio de Christumatis Sacramento, de Ordinis distinctione, precibus pro defunctis, & aliis hujusmodi, quæ in Scripturis Sacris non habentur.*

Tertio Irenæus lib. 3. adversus Hæreses cap. 2. & 3. Apostolicas traditiones probat per continuatam successionem Pontificum Romanorum, incipiendo à Lino, qui immediate successit Petro, usque ad Eleutherium, qui duodecimus vel decimus tertius fuit post D. Petrum Summus Pontifex.

Quarto Sanctus Justinus Martyr in Apologia 2. pro Christianis, sub finem, aliqua reſert non scripta, quæ dicit Christum Discipulis tradidisse, nempe diebus Dominicis post lectionem Scripturarum esse offerendum & consecrandum panem & vinum, aqua temperatum.

Quinto Fabianus Papa, qui sedid anno 238. in secunda Epistola ad Episcopos Orientales, initio docet modum conficiendi Christma singulis annis, fuisse ad Apostolis traditum, eumque servandum, sicut Apostoli tradiderunt: *Ista (inquit) à Sanctis Apostolis & successoribus eorum acceptimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc Sancta Romana Ecclesia & Antiochana, à temporibus Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, Ephesinorum tenet.*

Sexto Tertullianus antiquissimus Author lib. de Corona militis post initium, sic loquitur. *Hanc si nulla Scriptura determinavit, cerè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Et intra. Enumeratis ceremoniis quas in Baptismo Ecclesia adhibet, subiungit: Harum & altarium ejusdem disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nulla legis traditio tibi pretendetur, nulli consuetudo, confirmatrix & fidei ob-servatrix.*

Ean-

Eandem veritatem unanimi fere consensu tradunt alii Patres, qui tertio, quarto, & quinto saeculo floruerunt. Cyprianus enim libro 2. Epistolae ad Ceciliam ait, aquam miscendam esse in calice vino ex Christi institutione, quae tamen calice vino ex Christi institutione scripta reperitur. Basiliscus libro de Spiritu Sancto cap. 27. haec scribit: Dogmata quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habentur à doctrina scripto prodita, quaedam rursus ex traditione Apostolica, in mysterio, id est in occulto tradita, recipimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Ubi multa quae in Ecclesia oblerantur, ex traditione deducit, ut quoddam signo vasatur, ex traditione uiantur, quod aqua ante Baptismum confectetur, quod baptizandus sacro oleo inungatur, & similia, caulamque ibidem assignat, cur non expediat omnia scripto tradi: Ne (inquit) Dogmatum cognitio, propter assuetudinem vulgo veniret ad contemptum. Epiphanius Haereticus 16. Oportet (inquit) & traditione uti, non enim omnia à Divina Scriptura accipi possunt. Damascenus libro 4. fidei cap. 17. Plura (ait) Sanctorum Apostolorum tradiderunt sine scripto. Denique Augustinus libro 2. contra Donatistas cap. 7. dicit, multa non inventiri in litteris Apostolorum, quae tamen non nisi ab Apostolis tradita & commendata leguntur. Et libro 5. cap. 23. asserit dogma fidei quo asseritur, Baptismum valide ab Haereticis conferri, non posse latius ex Sacra Scriptura colligi, propterea quod ad Ecclesiam & traditionem recurri debere: Apostoli (inquit) nihil quidem exinde praecerunt (scripto scilicet) sed consuetudo illa quae proponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis praecipua bene creduntur, quoniam scripta non reperiuntur. Item Epistolae 118. post initium haec scribit: Illa quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenarius Conciliis, quorum in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in caelum, & adventus de caelo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universis, quocumque se disjuncti Ecclesia.

36. Probat quare ratione: Necessario admit-
tenda est vel ab ipsis haereticis aliqua traditio, si de divina credenda, ut constat de Scriptura Sacra, quam non nisi traditione credimus. Unde enim certi sumus, quod Scriptura ab usque antiquis conscripta sit, illa eadem quam teneamus credere, nisi traditione? Unde laire possimus, quod tertius & quartus liber Ebraeorum, tertius & quartus Machabaeorum, oratio Regis Manasse, anne et solita libris Paralipomenon, Appendix ad librum Job, Psalms centesimus quinquagesimus primus Davidis, qui in Graecis Patribus invenitur, Evangelium Nazaretum, Epistolae Pauli ad Senecam, quarum meminit Hieronymus in Catalogo de Scripturis Ecclesiasticis, Liber Pastoris, cujus Auctor, teste Hieronymo, loco citato, fuit Hermen, cujus mentio fit in Epistola ad Romanos cap. ultimum. Unde inquam, certo scire possumus, quod hi libri non sicut Canonici, nisi traditione: Quicquam igitur Scripturam admittit, necessario admittere debet traditionem, quae haec potius Scripturam, quam aliam nobis divinitus revela-

A tam proponit, cum id aliunde quam traditione scire nequeamus.

36. Respondent Haeretici, unicuique habenti verum fidei spiritum, per se constare, quae sit vera Scriptura, & quae falsa.

Sed contra idem: Fideles primitivae Ecclesiae habebant verum fidei spiritum, ut tatenur Adversarii, & tamen testatur divus Augustinus libro de Praedestinatione Sanctorum capite 4. quod judicabant librum Sapientiae, quem rejicit Calvinus, esse sacrum: Verba Augustini sunt. Sed qui sententia tractatorum instrui volunt, oportet ut istum librum Sapientiae, ubi legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, omnibus tractatoribus anteposant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crederent.

Secundo, incertum omnino est, quis verum illum fidei spiritum habeat: Calviniani enim non cie duntillam fuisse in Luthero, nec Lutherani in Calvino, nec ullus ex ipsis in Catholico Romano. Inter ipsos etiam Calvinistas dissentio est, quoniam sit vera Scriptura, ut inter Calvinum & Beza in initio capitis 8 Joannis, quorum alter spiritum, alter divinam Scripturam esse vult: Incertum ergo erit quae sit vera Scriptura, nisi ad traditionem recurratur.

C Probat quare: Si omnia Christianae Religionis dogmata in sola Scriptura continerentur, magnum haereticis ad errores in Ecclesiam Dei introducendos pateret ostium: Sed incredibile est, Christum & Apostolos, usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo & omnia ad fidem Christianam necessaria Scriptura contineri. Minor constat, Major vero eo aperte demonstratur, quod cum doctrina Scripturae in controversiam vocata, neque declarare, neque tueri se ipsam possit adversus novarum interpretationum corruptelas, facile adulteratur & corrumpitur ab haereticis, non vero traditio, utpote quae successione & praxi continetur patet in Ecclesia, unde plures sine comparatione haecenus fuerunt Haeretici, qui Scripturam quam traditione abuterentur: Nemo enim Haereticorum est (dicebat olim Hilarius ad Constantium Augustinum) qui se non secundum Scripturas predicare ea quibus blasphematur mentitur. Videas illos (inquit Vincentius Lyrinensis) volare per singula quae sacra legis volumina, per Moysen, per Regem libros, per Psalms, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas: sive cum apud suos, sive alienos; sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam de suo proferunt, quod non etiam Scriptura verbum adumbrare conentur: sciunt enim factores suos nulli fore placituros, si nudè & simpliciter exhalentur; unde illos celestis eloqui verbum, velut quodam aromate aspergunt. Faciunt porro haeretici quod patrem suum secisse vident, & auctoris sui callida machinamenta sectantur, qui ipsum Dominum Scripturarum testimonio appetit: si quis inquit, inquit, Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim: Ita quodcumque dogma haereticus proferat, statim ait, scriptum est enim. Vnde Hieronymus in cap. 1. ad Galatas, ait quod omnes haereses & Scriptura sibi consunt cervicalia, quae ponunt sub cubito universe etatis. Et Augustinus Tractatu 18. in Jan. Non natae sunt haereses (inquit) & quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas.

E

nisi dum Scriptura bene intelligitur non bene, & A quod in his non bene intelligitur, temere & audacter asseritur. Ex quo inferit Tertulianus libro de Præscriptis cap. 19. & 21. non esse cum hæreticis ex Scripturis disputandum, sed ex traditionibus quæ in Ecclesiis retinentur, istamque subdit rationem: quia hæretici Scripturas in alienum sensum contorquent facili, sed ex traditione clare constat veritas.

38. Probatum textus: Inter dogmata fidei Christianæ numerantur ista: perpetua Maris Christi virginitas, quam contra Antidicomariapitas credit Ecclesia: Baptisma parvulorum, contra Anabaptistas: processio Spiritus Sancti à Patre & Filio, contra Græcos: celebratio Paschæ post decimam quartam lunam Martii, contra Quarta decimanos: traslatio Sabbathi in diem Dominicum, contra Judæos: dux in Christo voluntates, contra Monothelitas: At hæc nulli in Scriptura Sacra reperitur. Ergo omnia fidei Christianæ dogmata non continentur expressè in Scriptura, sed aliqua habentur ex traditione, quæ proinde fidei regula esse potest.

Confirmatur argumento, quo utitur D. Augustinus contra Maximum Arrianum, libro 3. contra ipsum cap. 3. In quo loco Scriptura legitur, Deus Pater ingentis & imatus & tamèn ut dogma fidei creditur à Lutheranis & Calvinistis: Ergo omnes fidei nostræ articuli non continentur in Scriptura, sed aliqui solâ traditione docentur.

39. Respondet Molinæus libro de Purgatorio paginâ 39. aliquos ex prædictis articulis, scilicet perpetuam Dei maris virginitatem, translationem Sabbathi in diem Dominicam, & celebrationem Paschæ post lunam decimam quartam Martii, non esse ad salutem necessariò credendos; alios verò esse quidem de fide, sed vel in sacris litteris expressè contineri, vel ex Scriptura per manifestam consequentiam deduci.

Sed contra: Ideo Helvidius, ejusque sequaces, ab Ecclesia pro hæreticis habiti sunt, ut referunt Epiphanius & Hieronymus libris contra ipsos editis, quia negabant Deiparam post Christi partum Virginem remansisse: Ergo articulus de perpetua virginitate Maris Christi, est unus de pertinentibus ad fidem. Quoad celebrationem Paschæ post decimam quartam lunam, licet ante Concilium Nicænum primum, esset observantia liberâ, ab illo tamen Concilio Decemani qui sentiebant non ita esse celebrandum festum illud, sed lunâ decimâ quintâ, pro hæreticis habiti sunt. Quantum ad translationem Sabbathi in diem Dominicum, nullus est ex fidelibus, qui non haberet tanquam Judæum, eum qui die Dominicâ laboraret, & Sabbatho feriatet. Unde Ignatius in Epist. ad Magnesianos docet Dominicam diem esse Resurrectioni Christi consecratam, & propterea illam, *Reginam ac Principem omnium dierum*, appellat.

Denique quoad reliquos ex prædictis articulis, cum fidei assensus non sit discursivus, sed simplex, propter solam auctoritatem dicentis, dicere, ut respondet Molinæus, quod per consequentiam ex Scripturis eruntur, non est probare quod sint ex fide credenda, sed solum quod pertineant ad Theologiam, quæ discursiva est, & quæ ex mysteriis fide divinâ creditis, per discursum plures conclusiones deducit.

40. Denam suaderi potest conclusio ex eo quod semper traditiones & in omni ita acceptæ fuerint: vix enim nullum regnum est cui suæ traditio-

nes desint, etiam quoad res maximi momenti, & interdum ipsæ regni leges fundamentales solâ traditione habentur. Exemplum in promptu exhibet florentissimum regnum Gallia, in quo omnium prima & præcipua lex Salica, solâ traditione habetur: nec constat quem Authorem habeat; aliis ad Pharamundum Regem, aliis ad Carolum Magnum, aliis ad alios referentibus.

Quantum ad statum legis naturæ, in quo nullâ Scripturâ saltém canonica extabant, plura solâ traditione cognoscebantur: nam præter quod non est dubium quin Adamus nepotes suos plura docuerit quantum ad scientias, quas nemo negat eas primum ab Adamo acceptas, & successivè ad Abrahamum deductas, à quo Chaldaei, sicut à Chaldaeis Egyptii, eas didicerunt. Sed præterea nec dubitari posse videtur, quin Adamus plurimâ docuerit, quæ ad religionem pertinent, quæ sunt originalis culpa, generatione traducta, remediū ad illam eluendam exhibendū, præcipue verò futurus adventus Messia, & alia ejusmodi plura, quæ certum est non ignorasse Adamum, & de quibus etiam dubitari non potest, quin posterius monuerit. Henoch etiam, ut habetur in Canonica D. Judæ, futurum aliquando judicium ultimum, suis prædicavit. Abraham circumcissionis præceptum accepit, quod ad posterius, usque ad Moysen, sine ulla scriptura, solâ traditione deductum est, & servatum.

In statu legis scriptæ plures solæ traditiones, facilis erit probatio. In primis, quia eadem traditiones habebantur, quæ in lege naturæ vigebant, nimirum de peccato originali, de purgatorio, de sacrificiis pro mortuis offerendis, de Messia, & ultimo judicio futuro. Præterea certum est apud Hebræos, Moysen duplicem legem in monte Sinai accepisse, alteram quam scriptam omnibus promulgavit, alteram quæ prioris explicatio erat, quam ore ad os tum Josue tum septuaginta senioribus tradidit. Idque præter omnium Hebræorum consensum, ex illo Esdræ 4. cap. 14. videtur colligi, ubi Deus ita loquitur: *Enarravi Mirabilia multa, & præcepta ejus dicens, hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Vulgò etiam dicitur, Esdræ ex præcepto Dei, quadraginta diebus libros scripsisse, alios quos populo, alios quos solum sapientibus traderet, quos Picus Mirandulanus asserit selegisse. Hæc lex oralis dicebatur, vel etiam Hebræo nomine *Kabala* à verbo *קבל* *Kibel*, quod est accipere, ac si quis acceptionem vocaret, nimirum quod ut dictum est, ore ad os traderetur. Hæc lex, aut verius legis explicatio, solâ traditione servata est, usque ad tempora Rabbeni Hakados, quem ita honoris causa nominant, scilicet *Magistrum nostrum sanctum*, qui cum videret Judæos in alias terras deportari, veritus ne legem obliviscerentur, primus librum Mishnah composuit, in quo traditiones, sententias, expositiones legis collegit. Post verò trecentis circiter annis à vastatione templi R. Iohannan ex iisdem traditionibus Talmud Jerosolymitanum composuit, & demum post annos centum plus minus, Talmud Babylonicum editum est, quod utrumque continet expositionem locorum difficilium quæ habentur in Mishnah. Etsi verò plura in iis inutilia, ac etiam contra jus naturæ, aliquando habeantur, quæ à Rabbis posterioribus addita sunt, multa tamen continet à Moysæ procul dubio accepta, & quibus etiam multi ad confirmanda fidei mysteria egregiè utuntur: quos inter eminet

eminet Raymundus Martini, Ordinis Prædicatorum, qui suum opus Pugionis fidei, iis testimoniis locupletavit: quod opus olim Galatinus omnino excerpserat, & tanquam proprium parvum in lucem ediderat: sed illud illustrissimus Dominus de Voisin, Exsinator Burdigalensis, suo Authori restituit.

Quantum ad statum legis gratia, ex superioribus facile probari potest, & comparatione statum omnium perfectissimi, cui nihil desit credendum est eorum quæ in aliis statibus habebantur, qui huius duntaxat figuras continebant, aut rudia liamenta. Si ergo in statu legis natura & legis scriptæ plura habebantur solâ traditione accepta, & quæ necessaria erant ad cultum religionis, & regimen Ecclesiæ, ut iam ostendimus, etiam in statu legis gratia, non minus esse debent traditiones, cum non minus etiam ad regimen Ecclesiæ pertinere possint, aut necessaria sint.

Et confirmari potest ex eo quod in Actibus Apostolorum cap. 1. dicitur quod Christus per dies quadraginta apparetur Discipulis, iplis loquitur de regno Dei: de regno scilicet Ecclesiæ quam fundabat de regimine quo regnanda erat de legibus quibus erat stabilienda, & aliis quæ ad perfectum regimen necessarii requiruntur: hæc enim omnia Christus post resurrectionem per dies quadraginta cum Discipulis conversatus, ore tenus eos docuit.

Si verò quæras, quanam traditiones sint quæ servantur in Ecclesiâ? Respondeo cum Gravina como præf. cont. 4. art. 7. has potissimum haberi. Primo circa mysterium Trinitatis, tres esse duntaxat, nec plures personas: erant enim expressè habetur in Scriptura, tres esse personas, nullibi tamen expressè habetur non esse plures, sed id sola traditio docet. Secundò, quantum ad primam personam, nomen in quo ipsi soli convenire, & quantum ad Filium, esse principium Spiritus Sancti; & demum quantum ad ipsum Spiritum Sanctum, illius productionem non esse generationem, sed processionem, hæc enim minus ex Scriptura, quam ex traditione habentur. Tertiò de Christo, traditione habetur descendisse ad inferos, & liberasse Patres, & crucis lignum in honore habendum esse. Quarta de Beata Virgine, virginitas ejus perpetua, immunitas ab omni actuali peccato, assumptio ejusdem in celos, etiam in corpore, traditione habentur. Quintò Symbolum Apostolorum, sicut & Scripturam, quam habemus, canonicam & veram esse Scripturam, solâ traditione accepimus. Sextò circa Sacramenta, eorum numerum, materiam, formam, traditio docet, saltem quantum ad aliqua, quorum materia & forma non exprimitur in Scriptura: sicut & baptismum debere conferri parvulis, posse in necessitate conferri ab omnibus, validum esse collatum ab hæreticis, imprimere characterem, non esse iterandum; Confirmationem verò esse Sacramentum, characterem imprimere, & à solo Episcopo ut in initio ordinatio posse conferri: Eucharistiam esse Sacramentum simul & sacrificium, & aquam vino miscendam esse: Pœnitentiam verum esse Sacramentum, & triplici parte, confessione scilicet, absolutione, & satisfactione constare: Extremam Unionem verum esse Sacramentum. Ordinem etiam esse verum Sacramentum, imprimere characterem, & varios esse ejus gradus; demum Matrimonium, verum etiam esse Sacramentum, conferre gratiam, & ratum, non consummatum, per

Tom. IV.

A professionem religiosam dissolvi. Hæc omnia ligillatim ex traditione haberi probat eruditè citatus Author. Quæ verò sequuntur, & quæ potissimum hæretici negant, probat operibus haberi traditione omnium à Christo sæculorum. Primò primatum D. Petri, secundo Millæ sacrificium, tertio purgatorium, & defunctorum suffragia; quarto institutum monasticum, & celibatum; quinto sufficere Eucharistiæ sumptionem sub unica specie, sexto fieri veram in Eucharistia transubstantiationem; septimo esse in Ecclesiâ thesaurum Indulgentiæ concedantur; octavo Sanctorum invocationem & intercessionem; nonò imaginum & reliquiarum cultum. His addo jejunium quadragesimale, quod omnes ferè Patres ex Spondano anno 57. num. 57. docent institutum fuisse ab Apostolis in honorem Passionis & Resurrectionis Christi. Unde Hieronymus, in Epistola ad Marcellam: Nos (inquit) unam quadragesimam ex Apostolorum traditione congruo tempore jejunamus. Et Ignatius Episcopi ad Philippenses in fine: Quadragesimale jejunium ne spernari. Basilus item serm. 2. de Jejunio testatur jejunii quadragesimalis legem suo tempore adeo religiose observari fuisse solitam, ut nemo prorsus ab illa sese eximeret: Non infusa (inquit) non terra, non civitas, non gens, non denique locus nullus, desertus, ubi prædictio ista non fuerit audita. Sed & exercitus, & iter facientes terrarumque, mercatores quoque omnes, similiter audiunt & suscipiunt. Idem de jejunio quod servatur quatuor anni temporibus docet Leo Papa serm. 7. de Jejunio mensis septimi. Et serm. 2. de Jejunio Pentecostes hæc habet: Dubitandum non est discipulis, omnem observantiam Christianam, eruditionis esse divinæ, & quidquid ab Ecclesiâ in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium residet institutus.

Ex his intelliges, triplex esse genus traditionum: aliæ enim sunt immediate à Christo, quæ divinæ: aliæ ab Apostolis cum assistentia Spiritus Sancti, quæ Apostolicæ: aliæ quæ vel à Prælati, vel à populis inchoatæ, usu & consuetudine obtinuerunt, ut vim legis haberent quæ Ecclesiasticæ dicuntur. Duæ priores habent eandem vim & certitudinem, quam habet verbum Dei scriptum, cum nitantur eidem authoritati, quæ nititur ipsum; & cum verbum Dei, ut supra dicebamus, non habeat vim ab atrimeto & characteribus, sed à Dei authoritate. Rursus earum quæ à Christo vel ab Apostolis sunt, aliæ ad fidem, ut quod deiparæ fuerit temper virgo, quod sit in celum assumpta, quod nunquam venialiter peccarit; aliæ ad mores pertinent, ut quod servanda sint jejunia, quod celebranda sint festa certis anni diebus, &c. De quo vide Spondanum anno 58. num. 36.

§. II.

Hæreticorum objectiones solvuntur.

Obijciunt in primis Hæretici: Scriptura prohibet addi quidquam Scripturæ aut verbo Dei, dicitur enim Deuter. 4. Non adderis ad verbum quod loquor vobis nec auferetis. Et Apocal. ultimo: Si quis appoverit (id est addiderit) ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: Verbis igitur divinis, quæ in sacra explicata, ut Scriptura, nihil est addendum tanquam necessarium ad credendum, subingere

nullæ

nullae sunt traditiones non scriptae, quae ad fidem A
pertineant.

48. Resp. quod cum Scriptura prohibet addi quid-
quā Scripturae aut verbo Dei, intelligi debet pro-
hibere ne quid sacrae Scripturae addatur, tanquam
Scripturae divinae, aut verbo Dei, tanquam verbū
Dei, quod tale non sit, aut quod sit illi contrariū.
Nam post librum citatum Deuteronomii, quo
prohibetur ne quid Scripturae aut verbo Dei ad-
datur, multi alii libri Canonici scripti sunt. Simi-
liter cum D. Joann. ait: *Si quis apposuerit ad haec,*
apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc, so-
lūm vetat ne libro Apocalypsis sibi in Pathmos
insula ostensa, aliquid addatur tanquā pars illius
Apocalypsis, quod tamen ipse non scripserit vel
addiderit; non verò prohibet acceptari alias re-
velationes ad eum librum nihil facientes, aut A-
postolorum traditiones, & Ecclesiasticas Consti-
tutiones sacris litteris non repugnantes.

49. Obijciunt secundò aliqua Scripturae testimo-
nia, quae traditiones damnare videntur, Christus
enim Matth. 15. alloquens Judaeos dicebat: *Irru-
rum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras.*
Et Paulus ad Coloss. 2. *Videte (inquit) ne qui vos*
deiciat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secun-
dum traditionem hominum.

50. Verum ad haec facile respondetur, Christum &
Apostolum, locis citatis, reprobare quidem tra-
ditiones fictas, fucatas, & contrarias Scripturae,
vel rectae rationi, quales erant illae quas Judaei à
Pharisaeis acceptas servabant; non tamen legiti-
mas, quales erant quas ipsis Moyses & Prophe-
tae tradiderant; ex quo proinde nihil contra nos;
non ideo enim verae & Apostolicae traditiones
sunt contemnendae, quia Christus & Paulus fas-
fas & Pharisaeas condemnarunt.

51. Obijciunt tertio SS. Patres docent Scriptu-
ram sacram esse sufficientem fidelibus; ait enim
Tertullianus contra Hermogenem, *Adversus pleni-*
tudinem Scripturae. & Augustinus lib. 2. de Do-
ctrina Christiana cap. 9. *In iis (inquit) quae aperte*
posita sunt in Scriptura. idcirco illa omnia quae
continent fidem. Et lib. 3. cap. ultimo: *Quidquid*
homo extra dixerit, si non in ista, ibi damnatur. si
utile est, ibi invenitur. Ergo praeter Scripturam,
nullae dantur traditiones non scriptae, quae ad fi-
dem pertineant.

52. Confirmatur: Non minùs sufficiens est pro
fidelibus Christianis novum testamentum unū
cum veteri, quàm fuit solammodo vetus testa-
mentum pro Hebraeis: Sed tota fides ad quam a-
stringebantur Hebraei, fuit expressa in veteri te-
stamento, & libris ejus: Ergo etiam & tota fides
ad quam de necessitate salutis obstringuntur
Christiani, continetur in novo & veteri testa-
mento; Nullae ergo dantur traditiones non scri-
ptae, quae ad fidem pertineant.

53. Ad objectionem respondeo Scripturam jam
notam ex traditione, ut divinam, esse sufficien-
tem fidelibus, si sumatur cum iis omnibus quae
continent implicite & virtualiter: nempe quate-
nus commendat traditiones, & iudicium Eccle-
siae, cui parere nos jubet; non verò quatenus illa
excludit. Unde ad locum Tertulliani dico, eum
ibi non nisi de creatione mundi agere, contra er-
rorem Hermogenis asserentis mundum non fu-
isse productum ex nihilo, sed ex praesente ma-
teria. Ex quo nihil contra nos, quod enim Scri-
ptura, quantum ad illum articulum sit sufficiens,
sive habeat plenitudinem, non facit quod suffi-
ciat quoad alia fidei nostrae dogmata.

Ad D. Augustinum, aliosque Patres interdum
asserentes, Scripturam sacram ad fidem sufficere,
dicendum est, eos non uti uti Scripturam in
stricta illa & rigorosa acceptione, quā libros so-
lūm Canonicos complectitur, sed in alia magis
ampla & generali significatione, quā ambit &
conplectitur omnem revelationem ab Ecclesia
acceptam uti divinam, sive sit conscripta in cor-
pore Bibliae, sive non, sed solum verbo tradita. Si-
quidem quia potissima & multò major pars divi-
natum revelationum nobis communicatarum,
est exarata & scripto expressa in ipsa Biblia, id-
circo nomine sacrae Scripturae, SS. Patres com-
prehendunt etiam pauca divinitus nobis per
traditionem revelata.

Ad confirmationem nego Minorem, Hebraei
enim, praeter libros veteris testamenti, habuerunt
alia nonnulla ad fidem & mores spectantia, ex
ore Prophetarum & antiquorum Patrum, sine
scripto excepta, sed ab eis ad nepotes, voce,
verborumque communicatione transfusa, ad qua
nihilominus agenda vel credenda ipsi obstringe-
bantur: quas traditiones sine scripto per oris
transfusionem, nonnulli Kabalam Hebraicā vocē
nuncuparunt, ut supra in ultima probatione no-
strae conclusionis declaravimus. Unde falsum
est quod in argumento innuitur, nimirum in ve-
teri testamento, seu in libris Moysis, omnem
doctrinam ad salutem necessariam fuisse conten-
tam; nullibi enim in libris Moysis extat reme-
dium pro peccato originali in foemina, & mal-
eplis ante octavum diem, nec non ingenti-
bus, qui circumcissioni non altrangebantur,
multisque aliis quae supra retulimus.

Obijciunt quartò: Per traditionem non scri-
ptam ostium perveris erroribus aperitur, facile
enim est cuilibet haeretico, cum Scripturarum
testimoniis destitutum videbit id quod dogmati-
zat, traditionem de illo comminisci Apostolicā:
sic Papias apud Eusebium lib. 3. cap. ultimo erro-
rem suum de mille annis regni Christi, in terris
post resurrectionem futuri, commentitiā tradi-
tione Apostolicā tueri conabatur: sic etiam
Quartodecimani iactabant se celebrationem Pa-
schae decimā quartā lunā more Judaeorum à Jo-
anne Apostolo & Episcopo Ephesino accepisse,
ut refert idem Eusebius lib. 4. cap. 14. At creden-
dum non est, Christum, aut Apostolos usque adeo
apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo
planè commentitium est, eos aliqua de dogmati-
bus fidei reliquisse, quae Scripturarum canone
non comprehenderint, & per solam traditionem
Ecclesia communicaverint.

Respondeo hoc argumentum nullius esse robo-
ris, & facile posse in Adversarios sic retorqueri:
Si fidei ac religionis negotiū doctrinā duntaxat
scripta comprehenderetur, magnum haeticis ad
errores in Ecclesiam invendendos pateret ostium:
Sed credibile non est, Christum & Apostolos
usque adeo apertum ostium erroribus reliquisse:
Ergo nec eos omnia scripto tradidisse. Sequela
Majoris probatur, facile enim est cuilibet haere-
tico Scripturas corrumpere & depravare, illisq;
abuti ad probandum vel defendendum suos erro-
res. Unde Augustinus lib. 3. de Baptismo contra
Donatistas allerit omnes seductores non aliter
populos fessellisse, nisi praetextu Scripturarum,
quas (inquit) tenent ad speciem, non ad salutem. Il-
lique ipsi Haeretici quos proferunt Adversarii,
& in quibus malum traditionis usum reprehendunt,
potius ex Scripturis male intellectis, quàm
ex

ex traditione fuerunt decepti: Papias enim (ut A
scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus
in cap. 49. Isaia, & 19. D. Matthai) ex Scriptu-
ra male intellexit Evangeliorum & Apocalypsis,
quod errorem deduxit; & Quartodecimani de-
cimam quartam lunam celebrandum esse palcha affe-
rebant, ex eo quod ex Evangelio id aperte colli-
gebant, ut docet Polycrates, qui illorum Con-
cilio, seu Synodo praesuit. Sicut ergo ex eo quod
plures haeretici ad errores suos defendendos,
Scripturam abusi fuerint, propterea non potest di-
ci per sacram Scripturam ostium erroribus fuisse
aperitum, ita, imò & multò minùs, id per tradi-
tiones factum dici potest, quamvis interdum ha-
eretici, Scripturarum auctoritate desituti, tradi-
tione abutantur, vel eam ad suorum errorum de-
fensionem comminiscantur: *Nihil enim (ut ait Se-
neca) tam sacrum, quod sacrilegum non inveniat.*

Obijciunt ultimò: Eo modo credibile est Apo-
stolos necessaria fidei nostrae dogmata tradidisse,
qui videtur magis conveniens ut illa perpetuo
in Ecclesia conservarentur pura atque integra:
Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illis
vivà duntaxat voce, non ita se habet: Ergo cre-
dibile est, doctrinam fidei ab Apostolis hoc modo
traditam non fuisse. Major constat, Minor verò
probat; quia impossibile est, vel admodum dif-
ficile, ut quod auditione tantum percipitur, in-
tegrum contineatur & conservetur, vel enim qui
auduit, non satis allequitur quod audit, vel certe
postmodum obli viscitur illius, & consequenter
minus incorrupte ipsum alii tradit. Unde quam-
vis in lege naturae Ecclesia tantum traditionibus
non scriptis esset innixa, quia tamè successu tem-
poris oblivione ipsas obliterari animadversum
est, in lege Moisaica Scripturae datae sunt, ut per
illas oblivioni traditionis succurreretur.

Respondet concessa Majori, negando Mino-
rem, & ad illius probationem dico quod licet
auctoritas humana industria & cura in conservandis
traditionibus non scriptis, vix fieri possit quod
non pateant defectui qui obijciuntur, quia tamen
ille quibus utitur Ecclesia, Spiritus Sancti pro-
videntia singulari quaregitur ipsa Ecclesia con-
servatur, non magis timendum est ut pereant
aut corumpantur in tota Ecclesia, quam Scri-
pturae, utpote quae si humanam tantum providen-
tiam attenderemus, facile possent etiam corrup-
pi, imò & omnino deltrui. Et certe si traditio-
nem fidei toto tempore legis naturae absque ullis
scriptis conservavit Deus, nunc etiam & scriptu-
ras, & traditiones non scriptas, haud difficilius
conservabit, ridiculùmque est credere, eas non
eodem diligentia ac fide posse in fidelium cordi-
bus conservari, ac si in papyro scriberentur; neque
enim Scriptura Spiritus Dei vivà, facilius quam
Scriptura atramenti deletur. Unde falsum est,
ut dicitur in lege Moisaica fuisse datas à
Deo, ut oblivioni traditionis succurreret, si enim
ea solum de causa dedisset eas Deus, illa omnem
doctrinam ad salutem hominum necessariam
continuerent; quod tamen falsum esse ex eo supra
ostendimus, quod nullibi extet in libris Moysis
remedium pro peccato originali in feminis, &
masculis ante octavum diem. Aliae ergo causae
illis legis scriptae fuerunt; nimirum ut eam
ratione per se quoque optimà, hominum salutem
conservaretur. Ut ad plures cognitio coelestis do-
ctrinae, propius imminente tempore legis gra-
tiae, facilius pervenire posset. Et ut, vel ipsis Ju-
daeis invidis, Ecclesia Christi aliquando copiam

eorum doctrinae haberet, & consequenter ejus
auctoritate, atque antiquitate, veritatem suo-
rum dogmatum defenderet.

DISPUTATIO III

De Ecclesia.

Egitur disputatione praecedenti de du-
plici regula fidei inanimata & muta,
Scriptura scilicet & Traditione, nunc
de triplici alia regula animata & lo-
quente nobis superest disputandum; & primò
quidem de Ecclesia, deinde de capite ejus vili-
bili, Pontifice Romano, postea de Conciliis ge-
neralibus & oecumenicis, universalem Christi
Ecclesiam representantibus.

ARTICULUS PRIMUS.

*Verum Ecclesia universalis sit infallibilis in
credendo, & certa regula fidei?*

§. I.

*Quibusdam praemissis, conclusio affirmativa
statuitur.*

Suppono primò, Ecclesiam posse spectari du-
pliciter: Primò generaliter & latissime, pro-
ut non solum homines, sed etiam Angelos, nec
solum viatores, sed etiam beatos & comprehen-
sores complectitur; unde sic accepta definitur,
*Societas creaturae rationalis, supernaturali cognitio-
ne Deo adherens, ejusque vero cultu inter se com-
municans.* Ubi dicitur primò *societas*, quia Ec-
clesia in uno solo subsistere nequit, sed ad mi-
nimum tres, qui in jure dicuntur capitulum fac-
cere, complectitur. Secundo *creatura rationalis*,
quo nomine tam Angeli quam homines com-
prehenduntur, ambo enim ad corpus Ecclesiae
generaliter sumptae spectant. Tertiò subditur,
adherens Deo, quia si Ecclesia Deo non adhereret,
esset congregatio prophana & humana, ad instar
rerum publicarum hujus mundi, non autem di-
vina & coelestis, qualis tamen debet esse Eccle-
sia, de qua nunc agimus. Quarto subjungitur,
supernaturali cognitione, in genere, ut sic visionem
Dei, & fidem complectamur: Angeli enim in
Ecclesia triumphante, Deo per clarum ejus vi-
sionem adherent, nos autem in militante, sicut
& anima quae in purgatorio cruciatur, per fi-
dem & anigmaticam cognitionem. Quintò dicitur,
inter se communicans, ad societatem quippe
non sufficit sola multitudo, sed insuper requiri-
tur aliqua communicatio, ut nimirum unaquaeque
pars alteri pro suo modo & conditione commu-
nicet; unde in damnatis, quamvis sit multitudo,
non reperitur tamen vera societas, quia non sunt
inter se uniti, neque mutuis officiis inter se com-
municant. Postremò subditur, *vero Deo cultu*, quia
communicatio quae est inter Ecclesiae membra sed
partes, maxime penes verum Dei cultum atten-
ditur, Ecclesia enim nomen est religionis, signi-
ficans societatem eorum qui ad Deum colendum
vocati sunt.